

1514.

Sigismundus I Rex Polonia
Pontifici Leoni X.

Beatissime Pater et Domine
Domine clementissime.

Post humilem mei commendationem
et oscula pedum beatorum.

Questi sunt mihi Nobilis Mathias
De Sanduogius De Szarnhow regni mei
Barones, quod evocati sunt ea com:
missione Vestre Sanctitatis citatione
unius ea Dominis Rota auditoribus,
ad instantiam Catharinae eorum novercae
occasione dotis, et quorundam injuria:
rum, quas pretendit sibi illatas fuisse
per eosdem Barones ipsius praeviduos,
allegaveruntque super eo negotio li:
tem pendere incerto iudicio Districtus
eorum prout juris et consuetudinis
est regni. Rogaveruntque ut ad ve:
stram Sanctitatem scriberem, sup:
plicans eidem, ut eam causam re:
mittere dignetur, ad forum et iudici:
um eorum. Sed et reliqua nobilitas
Regni mei hoc ipsum summis precu:
bus exposcit. Ego cum intelligam
eamdem Catharinam subditam meam
posse consequi justitiam hic in regno.

Quod
S

Quod ipsum, ut fiat, paratus sum
committere, et alias per me ipsum
servata juris ordine ei ministrare
justitiam. Rogo Vestram Sanctita-
tem Dignetur mandare, ut eadem cau-
sa huic remittatur, ne predicti Ba-
rones graventur eo sumptu, et in-
quietudine, quem tollerare eis diffi-
cile esset, simul et belli gravami-
na ferre, quae assidue contra cruces,
et hominis Christiani hostes me-
cum gerunt, et spero Vestram San-
ctitatem pro sua gratia et piete-
te in me et regnum meum hoc fa-
cturam. Quam Dominus Deus pro
mea et totius Christianitatis conso-
lationem augmento incolumem et
felicem semper conservare Dignetur.
Datum Cracoviae Id. Id.